

1298

*Nec multo
post circa
Hellepon-
tum vieti.*

pontum cum hoste congressæ , nihilo meliore eventu , quam ad Corcyram eo anno pugnatum erat , confixere : & ut non meliore eventu , ita non minori animo dimicatum . Ferunt ingenti prælio pugnatum : ac post multam stragem Venetorum fortunam inclinasse , sexdecim longas naves cum remigum turmis sociisque navalibus in hostium potestatem venisse : quæ reliquæ fuerunt , media trepidatione dilapsas , celesti fuga e Ligurum conspectu abiisse . Fuit recentior hæc clades omnino Corcyrensi illa minor : quia paucioribus navibus esset concursus . Sed ut in affecto corpore , in quo omnis nova morbi accessio gravissima est : ita hic novus luctus , qui modico intervallo majorem illum consecutus est , incredibili mœrore Venetos affecit . Et ne publica fortuna uspiam meliore spe esset , haud multo post quam ita in Helleponto est pugnatum , victor Ligur in Cretam cursum tenuit : ubi primo impetu Cydonem urbem occupavit . Sed in tantis malis haud quidem Venetus ille vigor aliquo modo remisit : reparatisque sæpe viribus , vario est eventu cum hoste deinceps bellatum ; sed quo loco , quove tempore , quibus auspiciis , neque scriptores quos sequimur , neque annales ipsi id tradunt : ita ut merito suspicari possis , præter hæc , quæ vulgo tradita sunt , nil reliquo belli tempore accidisse memoria dignum . Illud affirmant omnes , post mutuas clades citro ultroque illatas , jam viribus utriusque populi gravissimo bello exhaustis , hinc inde animos ad pacem , magis videlicet necessariam quam voluntariam , inclinasse . Politis namque armis , odia nunquam deposuere . Quamdiu secundo sit cum Ligure bellatum , autores quos vidimus non tradunt : sed multa sunt quibus conjectare libet , Ligusticum id bellum secundum brevius primo pene dimidio fuisse ; verum quo brevius , eo sane atrocius . Quo accedit , ut uterque populus ultro ad pacem , ut diximus , inclinaverit , non quia nollent amplius in armis esse , sed quia plus non poterant .

1299

*Pax cum
Genuen-
sis.*

Fessam duro Rempublicam & adhuc præ nimio labore anhelantem , periculofissimæ civium conurationes exceperunt : sed illæ ipsæ , ut diversis hominum ordinibus profectæ , ita magnitudine periculi inaequales ; nam quo minoris fortunæ hæc